



E 3. 27

DE BELLO
ADVERSVS MOSCHOS
AD EQVITES POLONOS
ORATIO.
XX

Sermone simplici, animo in Rem,
publicam optimo.



POS NANIAE
MELchior NEringk excudebat. ANNO
1578.

IN STEMMA
ILLVSTRIVM AC GENE-
ROSORVM DOMINORVM, D. STANI-
SLAI A GORCA PALATINI POSN: &c.
ANDREAE CASTELLANI MIE-
DIRECENSIS &c.



IN Patriam Comites dum surgere bella viderent
In cymbam velut, fluctibus ynda ruit:
Protinus hostiles pacarunt Marte, procellas
Dantes in celerem, millia multa fugam.
Hoc ideo Puppis præclaro stemmate fulgent
Ast virtus, Procerum, tollit ad astra caput.
IO; RADOSIJ POSNA

ILLVSTRBVS
ET MAGNIFICIS DOMINIS
COMITIBVS A GORCA, STANI-
SLAOPALATINO POSNANIEN: &c.
ANDREAE CASTELLANO MEDI-
RECensi &c. FRATRIBVS GER-
MANIS, PATRONIS SVIS CO-
LENDISSIMIS.

XX

Franciscus Goslavv de Nadarice

S. P. D.

VM MVLTA SINT IN FAMI-
lia vestra præclara virtutis ornamenta,
ijsq; orti maioribus sitis, qui non solum
legum, libertatisq; publicæ acres custo-
des & defensores fuere, sed etiam prudē-
ter consulendo, iuste sancteç decernen-
do, salutem, & dignitatem, Regni Poloniæ constanter tu-
tati sunt, & cum summa laude conseruârunt. Quorum Pa-
ter ex hac prouincia educto contra Moscos milite, belloq;
fæliciter confecto, pace parta, amplissimi, & laudatissimi,
auus item sapientis, & grauissimi Senatoris regni officio de-
functus, rerum à se in toga summo vbiq; iudicio gestarum
immortalem gloriam sequuturis reliquit.. Horum virtutē
& conseruandæ Reipub. studium, cum vos æmulari perspe-
ctum habeam, visum est mihi hanc lucubrationem de bel-
lo Moscouitico rudi stylo scriptam sub nominis vestri pa-

A ij trocinio

trocinio in lucem edere, non veluti calcar cetratis ad-
diturus, sed studij obseruantiae meæ erga inclytam familiæ
vestram, qualecunq; iudicium declaraturus. Et si in culte
orationis pudet, tūm quoties ego vos magnos oratores de
Repub, disputantes mente recolo, istæ iejunæ cartæ sorde-
re mili videtur: Attamen ne ea quæ amor Patriæ extor-
sit, suppressisse proflus videar, tanquam vela ventis com-
mittenda duxi, illud à Deo immortali suppplex præcatus,
ut proximis hisce Comitijs, quæ præcipue belli Moscoui-
tici causa, Vvarissouïæ indicta sunt: mentes vestras Spiritu
sancto suo regat, quò Respub. contra crudeles Moschos, &
immanes Scythias, dubia pacé cum Turcis existente,
vigilando, bene consulendo, & fortiter agendo
protecta, & tanquam nauis, in maximis
fluctibus, vobis hortatoribus
in portum deduci
possit.

L



DE BELLO ADVER
SVS MOSCHOS AD EQVITES
POLONOS ORATIO.
MCCCCL

MNIS RESP VBLICA LEG VM
æquitate , & armorū vi , ac defen-
sione , confilitur , augetur & conser-
uatur . Leges id præstant , vt quiscq;
quod suum est quietè possideat , &
pro arbitrio & voluntate , abscq; inuidia re sua vta-
tur . Atq; hæ quidem (nonnullis emendatis) si ad
æquabilem exequutionem deducātur , nihil est no-
bis domi , ad bene heateq; viuendum , defuturum .
Armis autem ciues , & socij , ab iniuria , & impetu
hostili defendūtur . Ac priorē partē quidē lorispe-
ritis tractandā relinquimus , de hac autē postrema
nobis instituta est oratio . Habet regnum Poloniæ
multos grates & potētes hostes , quorū conatibus
partim cōsilio , partim vi , & bello obuiā eundū est ,
& tanquā in excubij s constitutis , ne imparatos op-
primant , assidue vos aduigilare oportet . Primum
igitur (prout quidem præsentis temporis rerum
status postulat) potentes barbaræ gentes , cum fœ-
deribus , tum beneficentia vestra vobis deuincien-
dæ sunt , ne quid hostile machinentur . Ab occis-

A iii dua au-

DE BELLO ADVERSUS

dua autem orbis parte populi, vos socios & amicos
suos, de communi Repub. Christianorum optimè
meritos, haud quaquam bello petituri, existimam-
di sunt. Restant igitur Septentrionis Reipub. no-
stræ infensi hostes, in his autē est præcipius Mo-
schus, cum quo vobis nulla honesta pax, nullæ
diuturnæ inducīæ, nisi cum summa ignominia no-
minis vestri, confici possunt. Nam is, nullis iniu-
rijs prouocatus, ante paucos annos, Lithyvaniam
bello adortus, trucidatis, & in tristem ac exitialem
seruitutem, multis millibus hominū abducīs, Po-
losscum ditissimum oppidum, ad Dvvinam fluui-
um, cum arce simul expugnauit, & totū illum tra-
ctum, ferro & igni crudeliter depopulatus est. Ie-
seriscos, & alias arces minores, ac castella, eadem
belli rabie extertit. Ut verò alias iniuriās, ab hoc
hoste vobis illatas, cum Smolessensem, Notogar-
densem, & Seuerensem, Ducatus, non sine ma-
gno sociorum & Reipub. detrimento, vobis diuer-
sis bellis occupatis ademptos, præteream; nuper
etiam Liuones, fidem vestram implorantes, & se-
straq; omnia, voluntati & tutelæ vestræ, cum sup-
plici gemitu permittentes, iniusto bello persequi-
tus, munitissimas illorum arces, multitudine tor-
mentorum defectis muris & propugnaculis, vi cæ-
pit, frequentia oppida diripuit, opulentissima em-
poria

MOSCHOS ORATIO.

poria, & portus celeberrimos ad littus maris Baltici, cum detimento Reipub. Christianæ, & nominis vestri dedecore, occupauit. Nunc etiam in star torrentis, tanta rabie & cupiditate dominandi sublatus fertur, nullam oportunitatem augendi Imperij intermittit, nullum finem, modumq; belli constituit. Iamq; ad reliquam Livoniā su bigendam, & Lithuaniae occupandam, avarum & instantem animū adiecit, vt his debellatis mox in vicinam Prussiam, & haud multum moratus, in Poloniā infestos traducat exercitus, qua oppresa, libertare vestra excisa, longè lateq; imperium suum sit propagaturus. Hæc illum dies, noctesq; voluere, in hanc præcipue curam & cogitationem intentum esse, certum est. Quapropter summa ne cessitas, magnitudo imminentis periculi, tūm vero officij vestri ratio postulat & vrget, vt quām prīmū Tyranno isto, orbis terrarum crudelissimo, vires vestras opponatis, & indies crescentem potentiam à Repub. propulsetis. Est hosti ingens magnitudo animi, summa vigilantia, & celeritas, ijsdem propemodum artibus auget imperium, quibus olim Romanī sunt vsl: qui si inhumanam crudelitatem deponat, omnibus certe virtutibus, quæ in magno Imperatore requiri possunt prædictum illum esse constat. Habet infinitas pecuniarum

DE BELLO ADVERSVS

niardum myriades , ex tot prædis congestas , quæ illi
indies ex vectigalibus & emporijs diuersorum Ma-
ritum crescunt . Auget subinde exercitum suum ex
Danis , Noruegijs , Germanis , Liuonibus , Suetis
& Anglis , quibus liberalissime stipendia persoluit :
maiores etiam his licendi facultatem , quam suis ,
ut apud se retineat , & alios invitet , concedit . Hac
Principis solerti vigilantia Moscouitarum poten-
tia ad summum creuit , à qua multarum gentium
saluti & libertati , in primis autem vestra , præsens
periculum imminet , neq; iam facile frangi posse vi-
detur , nisi maximis viribus , summo belli apparatu
& felicitate . Frangetur autem , aut etiam Deo pro
meliore stante causa euertetur à vobis , si (id quod
in gratiis periculis à bonis ciuiis , & viris stre-
nuis fieri consuevit) omnes cogitationes , consilia .
viresq; vestras ad reprimendum illum contuleritis ,
si labores , vigilias , famem , & cæli Septentrionalis
inclem tam , more maiorum vestrorum pertule-
ritis , nec sumptibus peperceritis . Et certè viros
fortes , non labores , & vigilias , non opes tantum
facultatesq; suas , sed sanguinem vitamq; ipsam ad
tuendam Patriam , libertatemq; communem con-
seruandam , vltro contulisse videmus , & in histo-
rijs tam vestrīs , quam aliarum nobilium gentium
legimus : idem nunc etiam fieri , supplex carissima
vestra

MOSCHOS ORATIO.

vestra Patria à vobis petit. Quodsi autem adhuc
cunctantes & deliberantes bellum longius distuleris-
tis, nec primo statim tempore, celerrimo & à rebus
omnibus paratissimo hosti occurrentum esse duxer-
itis, expendendum est vobis equites, num cre-
scenti, & socordia vestra in summum augescenti ille-
lius potentiae, cùm maxime velitis, resistere possis-
tis, ac cauendū ne repētinus Répub. vestrā oppri-
mat interritus. Quodsi autē huic hosti (sed Deus
omen auertat) Polonia succumbat, cogitate qualis
vita sub eo Tyranno sit futura, si modo hæc vita, &
non potius morte acerbior servitus dicenda sit, vbi
leges nullæ, volūtas, & libido barbari Principis pro
lege habetur, vbi nihil certi tutoq; possides, fundos
prædia, facultatesq; tuas, tam diu tenes, quoad uis
effera te possidere permittit, omnia sœui tyranni li-
bidini subiecta sunt. Quin etiam salutis tuæ nunq;
es certus, ad minimam suspicionē, vel forte ab ad-
uersario per iniuidiam delatus, nulla data pro se di-
cendi facultate, nulloq; momento temporis ad dilu-
endam calumniam cōcesso, mox crudeli mortis ge-
nere necaris, boniscq; tuis exueris. Hæc cùm pas-
sim nota sint, neminem esse puto, qui non hostis
istius impetum, iniustumq; vim armis reprimendā,
bellumq; pro salute communi maturādum esse exis-
timet, iam verò illud in deliberationē venit, utro

B

magis

DE BELLO ADVERSVS

magis modo, generalinè expeditione equestrī or-
dinis, an verò mercenario milite bellum gerendū
sit, in qua quidē consultatione, nonnulli sententijs
inter se dissident. Sed tamen non est dubium, vñā
& eandē esse prudētūm Ducum & veteranoꝝ mi-
litum sententiam, in primisq; eorum, qui Regi-
onum Moscotiticarum non sunt ignari, tūm quā-
tæ sint hosti vires, quæq; belli gerendi artes, com-
pertum habent. H̄i igitur vniuersas totius Regni
Poloniæ vires, in remotissimas & asperrimas Se-
ptentrionis provincias tutò deduci posse negant,
vbi non cum hoste solūm, sed etiā cum niuib⁹,
cæliq; intemperie, tum etiā cum stagnantibus pa-
ludib⁹, locisq; desertis ac ipsa fame bellandum es-
set, ob idq; ingentibus illis copiis, quæ forte moto
generali bello, ducenta millia equitum essent nume-
ro superaturæ, magis à fame & inclem̄tia cæli,
quam ab hoste periculum esset timendum. Docu-
mēto est illa clades, qua Turcæ & Tatarī ante pau-
cos annos attriti sunt, qui cum numeroſo exercitu
in Moscouiæ fines educto, immanē labore aggressi
duo diuersa flumina ex Moscouia, in Pontum Eur-
xinum labentia, magna intercedē locorum, &
montibus fossa dūtis, coniungere conati sunt, hos
initio Moschus aggredi non ausus, sed quod tēpus
& ratio obtulit, cōſiliū arripuit, omnia flāmis exu-
rens,

MOSCHOS ORATIO.

rens, parandi comeatus facultatem hosti eripuit,
vnde ingens victus paenuria secuta est, ita ut in illo
exercitu Turcico libra panis triginta florenis, ali-
quando etiam pluris venderetur. Hos itaque fame de-
bilitatos & penitus enecatos, Moschus immiso vali-
do exercitu profligauit, & magna ex parte cecidit.
Censent igitur ad debellandum Moschum non tam
maximo, sed tamen viris, equis, & armis, ad ce-
leritatem in structissimo exercitu opus esse. Con-
stat autem ad alendum tantum exercitum, qui repra-
menda hostis potentia par sit futurus, ingente pes-
cuniarum vim esse necessariam. Quapropter non
illud tantum tributum inchoato bello, pendi so-
litum, sed etiam censu vestros annuos, a subditis
exorti consuetos, si salvi esse, hostemque debellare
cupitis, in sumptus belli conferatis, necesse est.
Non enim alio modo, nisi aut in defensis laboribus
vestris, summacaque vigilatia, aut certe maximis ve-
stris iacturis, & impensis belli, hostis potentia-
simus vincere potest. Hic statim nonnulli clas-
mabunt, rem nouam, libertaticque publicae perni-
ciosam inferri, quiduis potius passuros, quam ut ad
tam gravem exactionem se pertrahi sinant. Hidum
nihil de suo in publicum belli usum conferre
volant, secum diligenter expendant, ne cum cen-
sibus, praedia, facultates, & quaecunque alia cariso-

B ñ sima

DE BELLO ADVERS VS

sima habent, cum libertate simul amittant, & sero
demum dolere incipient, huius quidem rei extat
triste admodum exemplum in Græcia. Nam cùm
(Turcis Thraciam, & vicina quæq; occupantibus)
ad Palæologum vltimum Cæsarem Constantinopo-
litanum subditi illius magnam vim auri & argenti
cōgestam attulissent, lachrymabili voce dixisse fer-
tur: olim istud o ciues conferendum erat, nunc au-
tem id nimis sero, ob idq; frustra à vobis afferi: su-
miles castis Poloniæ magnoperè timeo. Nostram
autem nōnulli in præsentibus periculis, voluntari-
am militiam suscipere, bellumq; generale moueri
volent, ne modo quidquam in publicum belli usum
conferant. Horum ego sententiam non reprehena-
do, imo suo tempore & loco vehemēter laudarim,
cum solis ferē expeditionibus vniuersalibus eque-
stris ordinis, luxum cum vitij; è Repub. nostra ex-
tirpari, nec non iuuentutem nobilitatis ad labores
continentiam, frugalitatem, famem, sitimq; per-
ferendam, assuesieri, vigilij;, æstu, & frigoribus
indurari, videam. Hoc tamen tempore, quo de
bello Moscouitico consultatis admonitos vos esse
velim, vt rebus diligenter expensis, prouideatis ne
magna pars nobilitatis præsertim tenuiore fortuna
vtentes in horridis illis & incultis Septētrionis pro-
uincij; suscepto moto illo generali bello, illis de
caulis

MOSCHOS ORATIO.

causis quas supra recensuimus, attrita consumatur,
& pereat, de quorū numero plurimi publico sum-
ptu adiuti, præclararam Reipu. operam nauare pos-
sunt. In aliud igitur tempus, & fortasse in hostem
alium, s. ab mītiore cælo, terras cultiores incolen-
tē, generales illas totius regni vires seruandas esse
arbitror. Neq; ego ignoro veteres illos Lescones,
Boleslaos, Vvladislaos, & alios fortissimos, & om-
ni laude dignissimos príncipes vestros, non nisi ex-
peditionibus indicis, res præclaras bello gessisse,
& fines Reipub. nostræ longè lateq; protulisse, sed
alia tum fuit temporum & militaris disciplinæ ratio
vigilantia, & in perferendis laboribus militiæ, &
periculis subeundis alacritas, & patientia maior.

Neq; tū Regi vestro modum belli legibus præscri
plisti, neq; facta expeditione belli generali, edu-
ctoq; ingēti exercitu in finibus regni consistendum
esse existimasti, sed quocunq; vindicandæ publi-
cæ iniuriæ, & dominandi hostis se occasio obtulis-
set, procul hinc in hostile solum infesta signa ala-
cerrimis animis intulisti, ciues vestros periclitans
tes protexistis, nomē p Polonū, quod ante h̄ec tē-
pora formidabile barbaris fuit, clarissimis rebus ges-
tis illustrasti. Idem nunc etiam legibus de bello
emendatis, cum laude contra diuersos regni hostes
Deo duce fieri à vobis poterit. Contra Moschum

Lex Sarmatarū
virtute indigna
& nisi abroge-
tur, ruinā ad-
ductura.

B ij autem

DE BELLO ADVERSUS

autem hoc nostro rerum statu, mercenario milite prorsus est opus. Requirit id partim vastitas, & so-
litudo Septentrionis, partim quod horrido & gelidissimo brumæ tempore, bellum illuc præcipue geri
oporteat, tum cum paludibus lacubus, stagnis, &
fluijs glacie concretis, peruum vbiq[ue] iter equiti pa-
tet, vnde non tam numerosis quam expeditis, & a
rebus omnibus instructissimis copijs, ad infringendam
Moscouitarum potentiam esse necessarijs fa-
cile colligi potest. Illo autem sumptu, de quo supra
dictum est, in duos vel tres annos, ab universis ordi-
nibus collato, tantum equestrium, & pedestriū co-
piarum parari & ali posse, quantum non solum ad
reprimendas, sed etiam Christo ductore ad euertendas
hostiles vires sat sit futurū, præsertim cum mul-
ti sint, ex nobilibus familij futuri, qui suis impensis
Reipub. causa sint militaturi. Idem illi vltro faci-
ent, qui bona Regalia, seu fisci publici tenent, æquū
esse iudicantes, vt quanto quisq[ue] lautiores fortunas,
opescq[ue] in Repub. possidet, tantò is etiam maiores
suptus & labores, ad eius defensionē cōferre sit para-
tus. Sed nō minus adhuc multi obstrepēt, & cōquæ-
rentur concessio illo inusitato tributo priuatorum,
in primisq[ue] Nobilium facultates diminui & exauriri,
id ego non inficio, quum etiam idem sentio.
Nam si dimidios, vel si sit opus integras etiam cen-
sus à



MOSCHOS ORATIO.

stis à colonis & alijs subditis exolu solitos (propten-
tibus agrorum reseruatis) in sumptus bellī contu-
lerimus, magna sane redditum parte nobilitatis or-
dines priuabuntur. Quid igitur faciendum? ut
cuncti graue id tributum sit, viri certe boni Rem
publicam periclitantem haud quaquam deserendam
esse volent. Et cum equestris ordinis offi-
cium sit, patriam ab externa vi tueri, eiusque cau-
sa vitam sæpè & sanguinem vestrū vltro impen-
distis, multò minus etiam nunc facultates vestras
ad eius defensionem conferre gratubimini? Quin
imo quanto quisque est animo excelsiore magisque
generosè mentis dotibus à natura instructis pol-
let, tanto maiorem curam & studium in tuēdam
Rempublicam impendet. Quapropter non du-
bitum est, plurimos futuros, qui REGEM hunc
magnanimum in salutem Reipub. nostræ à Deo
ordinatum suis impensis sint sequuturi. Alij au-
tem ad lares patrios domi relictī, eadem animi
promptitudine, & alacritate, nihil non de re sua
priuata conferrendum, nullam exactiōnem tam
grauem esse putabant, quam non ipsi seruandæ
patriæ vltro impedant, etiamsi priuatim parcus
victitandum, & pro veste eleganti & splendida,
viliore, pro aromate autem, allio & cāpis sit in-
terea vtendum.

Nec verò

DE BELLO ADVERSUS

Nec verò eiusmodi contributiones (vt quidam putant) noui exempli res sunt: Etenim maiores nostros in magnis periculis, non solum plebeios homines & aequestrem ordinem, sed etiam Sacerdotes aurum & argentum templorum, in defensionē Reipub. vltro contulisse constat. Quid verò aliquid in historijs Romanæ plebis, assiduis exactionibus grauatae, quibus onerata succumbebat, frequētes querelæ & secessiones sibi volunt: quæ tamen cùm à viris prudētibus esset ita placata, vt nihil nō contulerit, nihil non fecerit Reipub. causa: sequutum est inde, vt in summam amplitudinem Imperij Romanum euectum sit atq; excreuerit. Bohemi fratres vestri ante annos quindecim Regi suo Maximiliano Secundo, tūm cùm ab Electoribus Imperij Francofurti ad Mœnum Romanorum Rex designandus, & diadema accepturus erat, præter consueta tributa, dimidios cenius etiam annuos, Reginæ quoq; coniugi eius partis relictae census dimidium vltro obtulerunt. Vos autem non ad pomparam parum utilem, sed ad sanctum, in primisq; necessariorum Reipub. usum, in quo salus & libertas omnium nostrum consistit, conferre quidq; dubitatis: Et domi ociosi residentes, longè maiores sumptus in luxum, convivia, portationes, profundities, vel vt à nōnullis fit, deserta Repub. diuitijs cumulandis



MOSCHOS ORATIO.

cumulandis incumbetis? Viuente Sigismundo Se-
cundo pacis studiosissimo Principe, vos Reipub.
sortem deplorasse memini, quod is cōparato exer-
citu, bellum subinde differret, occasiones rerū ge-
rendarum intermitteret, salubria fortium virorum
consilia negligeret. Nunc autem diuina benignita-
te clades nostras miserante, Regem Stephanū ades-
pti, in quo præter ingens robur animi, insigni mo-
destia temperatum, excellētes virtutes, quæ in ma-
ximo & laudatissimo Principe esse debent, egregijs
documentis eluent, q̄ribus instructus, non solum
iniurias & detrimenta nostra vlturus, auctaq; Re-
pub. labem ignonimiae à barbaris illatam, recupera-
ta veteri gentis nostræ gloria, abstersurus, sed etiā
diuina fauente clementia, toti afflictæ Christianita-
ti salutem allaturus esse videatur. (Nihil enim
moror insana quorundam iudicia, qui ab iniquo
lituore inducti excellentem virtutē maculis asper-
gere conantur, sed ea breui Deo fortunante reb⁹
egregie gestis clarissima resulgens, omnes in amo-
rem & admirationem sui conuertet) Nunc autem
nihil prorsus pro salute & decore Reipub. seriò a-
gitis, generalem expeditionem bellicam iactatis &
pollicemini. Ab ea in vasto Septentrione (vt di-
ctum est) parum vlti, omnibus autem regni pros-
vincijs oneri esse posset. Ostenditis etiā amplos
reditus

C

reditus

DE BELLO ADVERSUS

reditus Regios ad alendum exercitum, verum iij
nuc ab illis in quos sunt profusi tanta celeritate nec
repeti, nec extorqueri possent. Dum itaq; præsen-
tem Reipub. conditionem, & pericula considero,
nonnulla illorum ingenia metuo, quorum dulce li-
bertatis nomen in ore semper insidet, ne Reipubli-
cæ cladem, simulq; vniuersis nobis seruitutem per-
petuam & exitium adducant. Qui quidem infrin-
gi libertatem existimant, si quid de re sua priuata,
in usum publicum conferant. Quum tamen haec
nequaq; eo violatur, sed tum maxime viget conser-
uaturq; cum in eius defensionem corpora, faculta-
tesq; nostras offerimus: Nam quotquot vñquam
regna & imperia in terris vidimus, atq; in historijs
legimus, alterutra harum ratione, scilicet aut indi-
ctis expeditionibus equestris ordinis, aut collatis pe-
cunijs, cōducto milite ab externa vi, & quovis im-
petu hostili, tecta & conseruata fuere. Illam prio-
rem certis de causis, præsertim si contra Moschum
bellandum sit, omittendam esse ostendimus, hanc
verò periclitans Respub. à vobis supplex exposuit,
cui ut succuratis officij vestri ratio postulat. Neq;
ego ullum ciuem esse existimo, quem tot iacturæ,
detrimentaq; Reipub. non moueant, quiq; tot ge-
neris nostri hoies, in fædâ seruitutē ignavia nostra
abductos esse nō deploret. Quid obstat igitur, quò
minus huic diuturno dolori, carissimæq; matri Rei-
pub. sup.

MOSCHOS ORATIO.

pub. supplices manus ad nos tendenti maturam opē
afferamus. Illud nempē quod dicitur : Disparē cis-
tiū animos nullam rationē Reipub. habere posse.
Vos quoq; tecta intestina odia , discordes in Repub.
sentētiae , & ocium remorantur , quæ cùm exitialia
mala sint, hortatos , & per salutē patriæ rogatos vos
esse velim, vt his morbis pro antiqua vestra virtute
& in tuēda Rep. perpetua cōstantia sanatis, vnā &
eandē mentē ad conservandā patriam adferatis. Et
quēadmodum in eius salutē corpora, vitāq; vestram
sēpē libenter obtulisti, labores immēsos exhausisti
pericula adiustis, ita nūc etiā nullis facultatibus ad a-
lendū milītē parcendū esse existimabitis. Quod eò
libētius & alacrius facturi estis, quia in filios & re-
gni indigenas vestros, qui pro salute cōmuni milita-
turi sint, impēsas bellī conferetis. Quid si autē vos
offendunt harpiæ aulicæ (yt quidā dicere solēt) sum-
ptusq; publici ante hoc tēpus male collocati , an nō
id in potestate vestra sitū est, cōstituēdi dispēsatores
qui nō nisi in usus belli necessarios pecunia vestram
collocēt, cuius rationem vobis sūnt reddituris? Tum
præterea vos illud nō parum mouet & remoratur,
videlicet bona fisci publici , seu mensæ Regiæ con-
tra leges à Regibus dilapidata esse , quorum bono-
rum reditus si Reip. restituuntur, certum est, iustū
exercitū contra barbaras gentes , & quosquis hostes

C ii ea pes

DE BELLO ADVERSVS

ea peccunia ali & sustentari posse. Qui quidem iustus dolor vester præsentí statu Reipub. condonandus , aut certe ad tempus dissimulandus vobis erit, donec commodior facultas lege repetendi malis artibus possessa concedatur. Nunc autem præsens Reipub. periculum maturam opem a vobis exposcit. Quod quum sapientissimus Rex videret, bellum iam contra Moschos soli Litvyanici & Lituonici possessores constitutum apud animum suum habere dicitur. Nam verò videamus , qui fructus nos inde sequentur, si Regem nostrum optimum & fortissimum Principem , & pecunijs & copijs nostris instruxerimus. Primum fruemur domi pace optima, tranquillitate, libertate, nihilque nobis ad benè beatęq; viuendū deesse poterit, non excruciat nos dolor publicus, non clades, aut illa detrimēta quæ quotannis inferuntur, fruemur communī læticia, cum initia vim iustissimo bello persequentes hostem ab exercitibus nostris longe a finibus regni submoueri & vinci, Remque pub. augeri viderimus. O fælices sumptus & præclarè a nobis collatos, si hæc bona nobis pepererint. Est certe spes optima , iustæ causæ fortunæ non defuturæ, si modo luxū hoc cū vitijs , a Repub. summotis, delicta nostra pænitentia & emendatione vitæ expiauerimus, simulque humillime prostrati venia peccatorū, a miseria

MOSCHOS ORATIO.

¶ miser icorde Deo implorauerimus, labores militares non defugerimus. Non ego antiquis rebus gestis vobis animos adiçiam, sed quæ recenti memoria, peneq; ante oculos nostros gesta sunt, paucis referam. Non ita pridem ultra Dvvinam flutium ab equitatu Lithyanico, magnus Moscouitarū exercitus cæsus est, præda ingens recepta, paulò ante ilud tempus ad Nevulum ab exiguis vestris copijs, numerosus exercitus hostilis est attritus. Quin quotiescumq; bello Moschum aggressi estis, semper is campestribus prælijs victus & fugatus fuit. Nihilq; est vnquam de vobis consequitus, nisi quod cum ingenti exercitu & multitudine tormentorum, vobis stertentibus paucos in prælijs opprescit. Superiora tempora non repeto, quibus idem contemptissimus Regni Poloniae hostis fuit. Neq; ille lud silentio prætereundum est, cum proximis hisce annis Bochdanum Palatinum Valachiae priuato cōfilio, duce hoc NICOLAO MILEcio Palatino Podolæ, reducere conabamini, ubi exiguae vestræ copiæ, quæ numerum duorum millium equitum nō expleuerant, à magna multitudine Valachorum & Turcarum opprimi non poterant, quinimò magna parte exercitus cæsa, victoriam reportarunt. Quæ deinde Iuonia Palatinus Valachiae mercenarius milite vestro, contra Turcas & Moldanos præ-

C iij clare



DE BELLO ADVERSUS

clarè gessit, qui nisi à suis proditus interiisset, Imperium Turcarum vehementer attritus fuisset, horum quia recens est memoria superuacaneum ea futurit referre. Quæ certè non inanis gloriæ causa cōmemoro, sed ut intelligatis vobis præcipue successum, aduersus gentes barbaras à Deo immortalē cōcedi. Sed hanc fælicitatem negligitis & socordia vestra corrumpitis. Quodsi autem post tot Reip. detrimenta excitati, in eam curam & cogitationem incubueritis, consilia, vigilantiam, sumptusq; vestros vnanimi consensu ad debellandum hostem contuleritis, non dubium est fauente Deo, breui Moscovitarum potentiam ruituram. Quin ipsi Moschi qui sunt nobiscum eiusdem linguae & originis, tum Religione & ritibus ad formam Græcarum Ecclesiastū institutis, cum Ruthenis & Podolijs nostris cōseruant, intusam habentes immanem crudelitatem tyranni, si victorem vestrum exercitum intra fines suos conspexerint, ultrò se ei adiungent, ducesq; & adiutores erunt, euertendæ tam seuæ & impotentis dominationis. Quodsi verò fortuna votis respōderit, non est obscurum, quanta potentia, quantæq; opes nobis essent accessuræ, facultas item ingens ad res magnas aduersus gentes barbaras pro salute & libertate, non solum Sarmatiæ nostræ, sed etiam totius Europæ gerendas. Quæ sit enim ubertas Albæ



MOSCHOS ORATIO.

tas Albae Russiae latissimè patentis, quæ frequentia
fluviorum navigabilium, lacuum, & ad vnum hu-
manum permagna rerum omnia copia, id vo-
bis est notum. Cumq[ue] Imperium Moschotitarum
quatuor diuersa maria attingat, ab ortu enim mare
Caspium, ab occasu Balticum, à meridie Pontū Eu-
xinum, ab Aquilone autem Oceanum Septentrio-
nalem, & mare glaciale habet. Hinc portus & em-
poria ad littora horum marium, de quibus quanta
commoda, opes, & peccuniarum redditus Moschus
percipiat, id vel ex solis Naricis vectigalibus æsti-
mari potest, quæ quinq[ue]ies centena millia argento-
rum nummum quos taleros vocant, superare dicū-
tur. Quodsi Principem ab humanitate non alienū
moderato imperio illas prouincias gubernari con-
tingat, qui navigationes & terrestrium itinerum tu-
tos transitus esset redditurus, nusq[ue] maior mercato-
rum frequentia videri possit, ex Europa in Asiam
rursumq[ue] ex Asia in Europam, cū vario genere mer-
cium commeantium, hinc opes & permagna ve-
ctigalia. Nunc autē inhumanum Tyrannum adire
omnes ferē abhorrent. Parta autē Deo propicio
victoria, & pacato Septentrione haud dubium Eu-
rope populos certatim vobis sese adiungent, vosq[ue]
duces & protectores aduersus cæteros barbaros pro
salute Christianitatis exoptabunt & deligent,

Hoc

DE BELLO ADVERSVS

Hoc autem tam sanctum & necessarium pro liberate contra Moschos bellum gestari (si illud à Deo fortunari cupitis) prouidere, & adniti vos æquum est, vt nullæ sint in exercitu vestro rapinæ , violentiæ , cædes , blasphemïæ , ebrietates , scortationes , peritria , veneficia , templorum spoliations , nullæ oppressiones virginum , vel matronarum , audiantur , neç his similia flagitia , quibus DEVS offendit possit. Si quæ autem perpetrata fuerint , ea sumimus præfectus vobis hortatoribus inhibebit , & capitalibus supplicijs persecuetur. Ac vobis quidem exempla continentia & fortitudinis , non solum externorum Príncipum , sed etiam domestica , in primisq; recens IO Annis T Arnouij & M I Lecij in conspectu semper esse debent , quo duce tanta iusticia & disciplinæ militaris seueritate castra Polonorum instructa fuerunt , vt formam vrbis , optimis legibus fundatae præ se ferret. Quocirca mirum non est , illum frequenter de barbaris triumphasse , tantamq; fiduciam militi nostro creuisse , vt præste Tarnoutio sese ab ullo hoste vinci non posse crederent , in acie eques animosus , in victos clemens , & mitis fuit. Nunc quoq; res vestræ , quascunq; bello & pace geretis , reverentia numinis Diuini , & æquitate condiantur oportet , id quodsi à vobis fit , non solum Moscovitarum , sed cæterorum etiam barbarorū

MOSCHOS ORATIO.

barbarorum vos victores futuros denticio. Si autem timore Dei abiecto, in luxum & scelera prouoluta mini, ruinam & exitium Reipub. vestrae timere necesse est. Propterea vigilandum erit, ut non solùm armis, sed nec iusti & honesti studio vinci vos patiasmini. Superest enim vobis longè grauior, magisq; metuendus hostis Turca, qui totius penè orientis Africæ item, Et multarum Europæ gentium viribus innixus, excidium toti Christianitatí minatur, qui quidem diuturnam pacem vobiscum colit, at non vestro sed suo tantum commodo id facit, illud nempe præcaues, ne vos quoquo modo irritati vires vestras & cōsilia cum cæteris Principiibus Christianis vnanimi consensu contra se iungatis: Nec tamen hostilem in vos animatum quoquo modo tegere, aut dissimilare potest, dum Podoliā, Russiam, Volhiniā Patriæ vestrae provincias per emissarios suos Tartaros, de quibus Genus & originem traxit, frequentibus incursionibus infestat, viresq; vestras quoconq; modo potest labefactare non cessat. Quod autem ipse aperto bello adhoc tempus vos adortus non est, non illum foedera vestra, non amicitia continuit, sed seu diuina proutidentia inhibuit interdum voluntatem, aliquando verò facultatem hosti barbaro occupandæ Poloniæ non concedens, siue MArchomethæ vatis sui triste oracu-

D lum sem

DE BELLO ADVERSUS

Iam semper deterruit, qui gladium illum quo Imperium Turcarum cōcidat, quicq̄ iniurias totq̄ populos à Machometanis deletos sit vlturus à Gente Heneta seu Sclavonica, id est ē vobis siue prouincijs vestris apppariturū prædixit. Quia etiam de causa vos pace & foedore continens, amicos Imperij esse voluit. Interea tamen proxima & imminens illi cura semper est de reliquis Christianis populis, quib⁹ subactis, vos quoq̄ sponte, non tentata belli fortuna, colla iugo daturos sibi pollicetur. Ac de ruina quidem Turcarum Imperij, præter Machometi, nō nullæ aliae prædictiones vulgo circumferuntur. Exstat ante paucos annos scriptum quoddam typis excusum, quo prædictum est Venetos de Turcis visoriam reportaturos, cui adiunctū fuit aliud Russos Turcas bello superaturos & deleturos esse. Prīus quidem vaticinum verum esse euentus declarauit, posterius autem a Deo implendum petimus & expectamus. Sed profanis omissis, expendamus illa quæ sanctus Propheta Ezechiel de Gog & Magog Spíritu diuino afflatus scripsit, quem de lateribus Aquilonis (vt res ipsa declarauit) venturum, & multos populos oppressurum prædixit, nullum est dubium Turcas designari: Posterioribus (inquit Propheta) annis ô Gog venies ad terram reductam gladio, collectā ex populis multis super montes Israelis, qui longo tempore vastati sunt, cogitabis cogitationem malam, dicesq; Ascendam

MOSCHOS ORATIO.

Ascendam ad terram muris carentem, ingrediar ad quiescentes, qui habitant securè, qui omnes sine muris habitant, non habentes vectem neç portas, qui rei pecuaria, & possessionibus colendis dant operam, quiç habitant in umbilico terræ &c. Populus Iudaicus, qui & Israélis nomine est appellatus, multis ante sacerulis, iuxta vaticinium Danielis, negato Christo, populus Dei verusq; Israël esse desit, certū est igitur per montes Israélis gentes Christianas nuncupari, quæ doctrinam de vero & aeterno Deo, in populo Israélitico per Prophetas ac deinde per Apostolos orbis terrarum patefacto, certa fide incorruptam retinent. Quod autē Gog & Magog multis populis devictis, ad eā quoq; gentem cum magnis exercitibus spoliandā venturum, ibiç peritum prædicit, quæ sepè direpta fuit, quæ muris, vecte, & portis careat, quæ rei pecuaria & possessionibus colendis dat operā, et si sensus mysticus, & reconditus est, tamen his & similibus versibus vates sanctus Provinciarum Podoliæ, Russiæ, Lithuanie, ac penè totius Sarmatiæ nostræ multis ante sacerulis fortunam, & vitæ quam degimus antiquam consuetudinē præuidisse, & tanquam in tabula depictam, & aptissimè descripsisse videtur. Non enim certo quodam fato seu ratione deteti muris & propugnaculis, sed virtute militari Patriam vestram antiquitus tuendam, & muniendam esse existimat. Quod autē sequitur: Vocabo cōtra te ô Gog

Dij gladium

DE BELLO ADVERSVS

gladium in cunctis montibus meis Israel. Significat
haud dubie multos Christianorum populos ad de-
vinciendos Turcas Deo mouete & impellente ani-
mosè vobis sese adiuncturos. His tantis rebus gerē-
dis bello Moschotitico & Scythico animi exercen-
di, & laboribus militaribus asuescendi, induranda
corpora vobis erunt. Quodsi autem quæ præmia
simul cum immortali gloria, viris fortibus proposi-
ta sint expenderitis, eiusq; dulcedine adducti, nu-
la bellii pericula defugienda esse duxeritis, nihil
erit tam validum quod non frangi, nihil
tam arduum atq; difficile, quod non
virtus vestra eniti & pene-
trare possit.

DC

Mense Aprili, ANNO

I 5 7 7.

P S A L M O. L X.

Da nobis auxilium in tribulatione, quia vana est
salus hominis.

Viriliter agite & confortetur cor vestrum, om-
nes qui speratis in Domino. Psal. 31.

Franciscus Goslauus
de Nadarice.



Exemplar literarum Tartarici CZARY
(vt vulgè appellant) ad Serenissi-
mum Poloniæ Regem, ex eorum
lingua in latinam trans-
latum.

CHAM KAZIKIEREY.

Magnorum DOMinorum inter
Christianos, Regi Poloniæ & Sue-
ciæ, fratri nostro, humiliter fron-
tem inclinamus. Significamus
in primis, Aaronem Palatinum,
proditorem & perfidum fuisse, qui collecta
VValachorum manu, iunctisq; sibi Hungari-
cis CoZacis, ortis deinde inter ipsos dissidijs,
Vngarici KOZaci in VValachia degentes,
Aaronem in vincula coniectum ad Regem
VViennensem transmiserunt. Successit huic
quidam postea proditor RoZwan qui eti-
am collectis aliquot militum signis, cœpit in-
festare Vicinas ditiones magni TVrcarum
Imperatoris: Quod vbi ei significatum est,
Scrisit ad me Fratrem suum, ut quantò citius

B

VVala-

VValachiam petam, omnes hos perfidos puniam, villas Domusque comburam, & maribus ferro deletis, Vxores liberosque in seruitutem abducam.

Hoc in mandatis habens, ego magni dominij magnæ Ordæ, magnus Chamkazykterey, cum fratre meo letikerry, Galga, cæterisque fratribus meis, & Consiliarijs, Ducibus, & Murzis bellicosis & magnanimis, equo meo consenso, vna cum exercitu meo, venimus in VValachiam ad bruti flumen, vbi cum alio flumine Cocora dicto iungitur.

Hic incidimus in fidelem M^tis vestræ Seruitorem, Fratrem nostrum Cancellarium, qui etiam paulò prius, quam nos, in VValachiam venerat, cum quo post leuem altercationem, vbi senius agere cepi, significauit mihi, se ideo in VValachia versari, vt ex antiquo Poloniæ iure, Palatinum VValachia, restituat, nullo præiudicio facto de pactis & foederibus, quæ cum magno Turcarum Imperatore habetur. Cuperequ^e se, vt Hieremias, quem iam Palatinum constituerat, ius in eam ditionem obtine-

ret,

ret amicitiaque vetus, qualis sub Soltan Soly-
manno, Chamoque Davvlethergo, fideliter
seruetur.

Quod cum ego pro mea parte me facturum
iurassem, illeque similiter idem a suis, quos ad
me miserat, iurari fecisset: Decreuiimus simul,
ut Kozaci trans Niestrum, homines insolent-
es & seditiosi penitus deleantur & eradicen-
tur, Ne deinceps vlla damna ditionibus mag-
ni Imperatoris inferre possint. Dona præ-
terea, quæ olim iam inde a Solimanno mitti
nobis solita erant, ne amplius detineantur, nul-
laque in posterum damna nostris ditionibus in-
ferantur.


Cum itaq; nobis promisisset Dominus Can-
cellarius, curaturum se, ut Kozaci funditus dele-
antur: Consensi & ego, ut ex voluntate vestræ
Regiæ M̄tis, fratris mei, Hieremias Palatinatum
V̄ Valachiaæ retineat, quod etiam statim ad
magnum Turcarum scripsi Imperatorem Quod
si consensum M̄tas Vesta suum præbuerit
ad ea quæ nos cum Domino Cancellario hic de-
creuimus, tunc mecum, atque vnâ cum fratre
meo,

meo, cæteris que omnibus belli Ducibus & Mur-
zis, xterno tempore amorem fraternum concili-
abitis. Si verô Kozakos non deleueritis, tunc vos
nec iuramento nec pactis satisfacietis. Hæc
mandauimus Legato fratri nostro Gianachme-
tagræ, Mti vestræ exponenda, quem vt Mtas ve-
stra benignè accipere, donaque per eum nobis
transmittere velit, petimus, neque enim iam
alium hoc anno mittemus. Datæ ad
flumen Prutum. Anno Macho-
metis, Millesimo Quarto.
Mense Octob.



VDI6
p v





DE BELLO
ADVERSVS MOSCHOS
AD EQVITES POLONOS
ORATIO.
XX

Sermone simplici, animo in Rem,
publicam optimo



POS N A N
MELchior NEringk excudeb
1 5 7 8.

